



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXXI. De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

ad altiores Ordines promoveri. Mihi videtur, quòd non, quia nullibi est expressa irregularitas; quamvis ferè sit quæstio de nomine cùm ascensum ad alteriores Ordines impediatur etiam Suspendio, & aliæ Censuræ, non sola Irregularitas.

## TITULUS XXXI.

### *De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.*

#### SUMMARIUM.

1. 2. *Quando Prælati contra subditos, & vicissim hi contra illos dicantur excedere.*
3. 4. *Quid statutum sit de Clausura Monialium, & Monasteriorum virorum.*

Sicut hucusque de variis delictis ferè Clericorum propriis actum est, ita hoc titulo taxantur quædam Prælati Ecclesiasticis erga subditos, & his erga Prælatos propria: vocantur *Excessus*, eò quòd per hujusmodi delicta excedantur limites à SS. Canonibus præfixi. In fine aliquid annectetur de Clausura Monasteriorum, quia alibi de ea tractandi occasio non fuit.

Dico I. Quamvis Prælati Ecclesiastici in subditos generaliter excedere dicantur, quotiescunque eos ultra limites suæ potestatis & jurisdictionis gravant: Subditi econtra erga suos Prælatos generaliter excedant tunc, quando eorum jurisdictione



ditionem usurpant, aut reverentiam vel debitam  
 obedientiam illis denegant; Casus tamen par-  
 ticulares in hoc titulo specificantur & particu-  
 untur, in quibus ab utraque Parte exceditur,  
 v.g. 1. Si *Pralati Majores Ordinis Episcopalis*  
 subditos onerent iniquis exactionibus, vel ve-  
 xent Censuris injustè latis: si jura inferiorum in-  
 minuunt: ipsis aliquid contra eorum privilegia  
 imperent: Religiosis gravamina inferant &c. *c. 1.*  
*2. 5. 7. 16. 17. h. t. Clem. un. eod.* cujusmodi gra-  
 vamina, quæ Religiosis, præsertim Mendicanti-  
 bus & Exemptis, inferre Episcopi quandoque so-  
 lebant, in *cit. c. 16.* quindecim, & in *c. 17.* duodecim,  
 ac in *de Clem.* triginta recensentur.  
 Quandonam verò Episcopis, tanquam Sedis Apo-  
 stolicæ Delegatis, procedere contra Exemptos  
 liceat, dictum *lib. I. tit. de off. & pot. Jud. Ord.*  
*n. 8.* 2. Si *Pralati Episcopò inferiores* sine  
 jus consensu uniant Ecclesias sibi subjeclas: co-  
 gnoscant causas Matrimoniales, imponant peni-  
 tentias publicas, concedant Indulgentias: si ve-  
 lent interdicta &c. *c. 8. 12. fin. h. t.* *De immu-*  
 3. Si *Subditi dignitatem vel officium Superiorum*  
 sibi usurpent: si Capitulum erigant, & jura Ca-  
 legiorum prætendant propria auctoritate: si Pre-  
 latum negent suum esse Superiorem, titulum  
 que competentem honorem detrahant, ad Jus-  
 cem Sæcularem trahant, ipsum invadant vel  
 auxilium præstent &c. *c. 6. 14. 15. eod.*

3 Dico 2. Clausura Monialium, quæ præ-  
 sã sunt Religionem ab Ecclesia approbatam, tam  
 arcè stringit de Jure Communi, ut nec ipse  
 tra



tra Monasterii sui septa sine gravi causa eaque manifesta, & sine licentia Episcopi possint egredi, vel alii ad egressum cooperari. 2. Nec ulli ad eas liceat ingredi sine justa causa, & licentia Episcopi, vel saltem Prælati Regularis, cui subsunt, citra excommunicationem reservatam, & privationem Officiorum. Licet ingressus fiat non malo fine. Habentur hæc *c. un. de Stat. Regular. in 6. Trid. s. 25. c. 5. de Regular. Constitut. circa Pastoralis, & Constit. Decor. S. Pii V. Const. Deo sacris Gregor. XIII.* Justa causa autem ferè sola est necessitas: qualis ad egressum foret incendium, hostilis incurfio, necessitas colligendi eleemosinas (pro quibus tamen colligendis mitti non debent juniores 40. annis) morbus in Monasterio non curabilis, vel aliis causans periculum: ad ingressum aliorum verò, si curandæ sunt infirmæ, Sacramenta ægris ministranda, Monasterium reparandum &c. Licentia Episcopi (cujus vices supplere potest Vicarius Generalis) aut Prælati Regularis, ubi periculum foret in mora, v.g. in incendio &c. non esset necessaria. Respectu exemptarum Episcopus ut Delegatus Sedis Apostolicæ dat licentiam: utrùm verò, si exemptæ sint, præter licentiam Prælatorum Regularium, quibus immediatè subsunt, ad egressum necessaria sit licentia Episcopi, controversia est, quam optimè dirimit Consuetudo. Dixi, *de Jure Communi*; nam aliud subinde permittunt vel particulares Ordinum Constitutiones, vel Consuetudines, vi quarum in quibusdam Monasteriis tam viri quàm fœminæ non difficulter



admittuntur ad septa, imò & ad Cellas Monasterium.

- 4 Quæres, an pari ratione mulieribus sit prohibitus ingressus in Monasteria virorum? R. Prohibitus quidem est, at non in tanto rigore, ut nec ingredientibus nec admittentibus excommunicentur, nisi id faciant ex prætextu alicujus privilegii per *Constit. Decori. cit. & Constit. Dubii Gregor. XIII.* Vi Consuetudinis saltem in quibusdam Ordinibus ingredi permittuntur femine Principes, earumque filiae, ac aliae, quæ eas comitantur (id quod & in Monasteriis Monialium observavi) item quæ sunt de familia Fundatoris, ut mihi sæpius relatam est.

## TITULUS XXXII.

### *De Novi Operis Nuntiatione.*

#### SUMMARIUM.

1. 2. *Quid, & quotuplex sit Nuntiatio novi operis.*
3. 4. *A quo, & cui nuntiarì novum opus possit.*
5. 6. *Quis sit effectus Nuntiationis.*

**P**ER *Novum Opus* hîc intelligitur, ædificatio quod quis molitur vel in fundo alieno vel in solo quidem proprio, at cum alterius præjudicio, vero vel asserto, id vel extendendo de novo, vel pristinam ejus formam immutando, v. g. aperiendo fenestram versus horizontem alterius, altiùs tollendo &c. Et hinc illi qui